



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

S. Stephani protomartyris festo Paraphrasis in lection[em] Act. Apost. VI. &
VII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

Lucz 2.
1 saiz 44.
Lucz 1.

Ezech. 14.
Lucz 15.

Ioan. 11.

Esaiz. 7.
Esaiz. 57.

Lucz 2.

Angelorum
circa cubas
Christi fre-
quentia &
reuerentia.

Cant. 1.
Bethleem
quomodo cu
pastoribus
eundem sit.

*magnum, quia natus est vobis hodie Saluator. Gaudete gaudio magno, quia Deus Israel visitauit vos, oriens ex alto. Visitauit & fecit redemptionem plebi sue. Visitauit vos vt pater, qui filios suos erudit, pascit, liberat, defendit & prouidit eis hereditatem. Hec omnia nobis Christus fecit. Visitauit vt pastor, dispersas oues congregans, & perditam ouem suis humeris imponens, atque domum reducens. Ad hoc enim venit in mundum, inquit Euangelista, vt filios Dei, qui erant dispersi in mundo, congregaret in vnum. Visitauit vt medicus, qui languidos curaret. Omnes enim eramus infirmi. Omne nempe erat caput languidum & omne cor marens. Venit igitur vt suo nos liuore sanaret. Ceterum, vbi Christi nunciabatur natiuitas ab Angelo plena gaudio, subito comparuit lux caelestis quoque, quae testaretur verba Angeli, pastores inducens ad mirandum & ad querendum eum, qui nunciabatur. *Faeta est autem, inquit, multitudo caelestis exercitus, laudantium Deum, & dicentium, Gloriam multissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Quo credendum insinuat Angelos aut singulos, aut de singulis choris aliquos descendisse, & magna reuerentia, magnaque laetitia ad videndum salutandumque regem suum aduolasse. Stupabant enim eius humilitatem nimiam, adorabant eius maiestatem, bonitatem eius collaudabant, officiosissimamque veneratione ad Domini sui matrem se exhibebant. Vnde, vt dixi, nullum Angelum fuisse qui non ideo veniret, vt Christum Deum & hominem saluaret, adoraret, eiq; gratularetur, verisimile est. Quapropter deceret quemque Christianum ad hoc Christi tugurium, imo ad caeleste palatium accedere, & videre regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Eamus igitur cum pastoribus Bethleem, & videamus regem nostrum, Saluatoremq; nostrum. Admiremur eius charitatem, & gratias illi, non labiorum duntaxat motu, sed deuotissima effusione cordis agamus. Subiciamus nos eius seruituti & obedientiae, qui torcumnis & penis nostri se amore subiecit. Adiciamus non nihil praeter solitum morem, ad pristinam eius seruitutem, vt posthac feruentiores, humiliores, mitiores, & in omni virtute inueniamur, quam olim, perfectiores. Si enim vetus nostra in deuotio, si inolita detinuerit nos consuetudo, nec profectui nostro aliquid adiecerimus, quid Christi in nobis quae hodie operata est natiuitas? Praestemus igitur opere ac veritate, vt etiam ab his qui diligenter nos obseruat quantumuis celare id voluerimus, non possit non percipi, vnde nobis ipsi meliores sumus facti: id largiente nobis Iesu Christo Dei & Virginis Filio, qui cum Patre & Spiritu sancto est Deus vnus benedictus in secula, Amen.*

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTY-
ris, Lectio Actuum Apostolorum VI. & VII.

Act. 11.

Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quae appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant a Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano. Et non poterant resistere sapientiae & spiritui, qui loquebatur. *Audite.*

Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris, & ait: Ecce video cælum apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et eicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset obdormiuit in Domino.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

A Nte hanc lectionem præmittit Lucas, ad sedandum murmur eorum Act. 6. qui ex gentibus erant conuersi discipulorum (hoc enim nomine tunc omnes Christiani vocabantur. Septem ab Apostolis esse diaconos, quorum vnus erat Stephanus, constitutos. Verum, omiſſis reliquis de solo hic beatissimo prosequitur Stephano, dicens: Stephanus autem plenus gratia & fortitudine. Idcirco autem à gratia & fortitudinis dono commendatur, quia strenuum ac fortem militem in fide pro Christo (vt primum decebat martyrem) gessit. Itaq; Stephanus Spiritu sancto confortatus, signa & prodigia magna, quæ diuinæ gratiæ ac fidei essent testimonia faciebat in populo. Doctrina enim Euangelicæ in primitiua Ecclesia erant necessaria signa Discipuli qui olim cuncti dicti fuerint Christiani. facienda ab Apostolis & sanctis prædicatoribus, quæ eorum prædicationi adſtipularentur. Ideo scriptum est in Marco: *Illi autem, hoc est, Apostoli, profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Signa in Ecclesia primitiua quàm fuerint necessaria. Insurrexerunt autem de quinque locis congregati Iudæi, pleni dolo & inuidia, disputantes cum Stephano, prædicationem eius, quæ erat, Iesum fuisse Messiam & Christum, confutare cupientes, At non valebant resistere sapientiæ Stephani, & Spiritui sancto, qui loquebatur in ore illius. Implebat enim promissionem suam Dominus: *Ego autem dabo vobis os & sapientiam, cui contradicere non poterunt omnes aduersarij vestri.* Lucæ 21. Reddidit enim de singulis sibi obiectis rationem Stephanus, ac tandem vitia & duritiam eorum, qui erant in consilio arguens, propterea quod Spiritui sancto repugnarent, dixit: *Dura ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos Spiritui sancto semper resististis. Quem prophetarum non persequuti sunt patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuſciabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ suistis.* Act. 7. Hæc audientes, cordibus præ ira ac furore dissecabantur, & vt canes rabidi in eum dentibus fremebant. Surda enim aure Salomonis legerant prouerbiũ: *Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinu superueniet interitus.* Prouer. 9. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto videretq; sibi inflare martyrium ac morti fore proximum, Spiritu sancto confortatus, & mente & oculis intuens in cælum, quia in terris præmebatur, vidit gloriam Dei. Vidit enim cuius amore pugnabat, stantem, & se pignantem, quomodo in Psalmo scriptum est: *Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum* Psal. 36.

in tempore tribulationis adiuuare paratum. Vidit (inquam) Iesum stantem à dextris Dei, tanquam ad subueniendum paratum, & ait: Ecce video caelos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Iustum autem erat, ut primus martyr in consolationem futurorum sequentium, quia vitam pro Christi amore statuit in terris, caelos sibi videret apertos, & paratum primum, ad quod sitiens accenderetur.

Hominis filius curuocetur hic Christus.

Vide hic quod ad maiorem duritiæ Iudæorum confutationem non filium Dei, sed filium hominis Iesum nominant. Hunc enim quem ut hominem occiderant Iudæi, nolentes Deum credere, videre se dicit. Exclamans autem voce magna conuenerunt aures suas, quasi adeo essent religiosi (cum tamen vehementer forent blasphemii) ne blasphemiam audirent. Continuè aures ad audiendum veritatem, qui eas ante ad Christi obturauerunt prædicationem. Itaque impetu in eum vnanimiter facti, eicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Quomodo enim Christum extra ciuitatem suam crucifixerunt, ita eius quoque testem de ciuitate eiciunt lapidandum. Extra castra namque iubebat lex lapidibus blasphemum obruendum. Et testem iniqui, qui illum de blasphemia accusauerunt, vestimenta sua ad pedes deponebant adolefcentis, qui vocabatur Saulus. Horum enim manus secundum legem necessario erat in lapidando prima. Ad quod ut expeditior redderentur, eiecerunt vestimenta sua, ad pedes eadem ponentes Sauli, qui postea vas electionis factus, vocatus est Paulus. Hic zelum quandam habens pro lege, putans se obsequium in hoc præstare Deo, si persequeretur Christianos. At tandem ipse quoque ad Christum conuersus, intellexit se errasse, dicens se fuisse blasphemum, & Deo contumeliosum. Hoc igitur modo lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu accipe spiritum meum. Corpus hic amitto ac relinquo ad tempus, spiritum meum interim accipe. Politis autem genibus: oraturus pro alijs genua ponebat. Pro se enim ipse non orauerat flexis genibus, quo charitatem ostenderet, orandi quoque intentionem, quam necessitatem pro alijs maiorem: clamauit pro magnitudine affectus voce magna dicens: Domine, ne statuas, id est, ne imputas illis hoc peccatum. Hoc est, ignosce illis, quod lapidibus me impetunt. Et cum hoc dixisset, feliciter obdormiuit, requiescens in Domino, qui illi animam inter brachia paternæ recepit charitatis.

Marc. 15.

Hebr. 11.

Leuit. 24.

Ibidem.

Actor. 9.

Actor. 13.

Ioan. 16.

2. Tim. 1.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM FESTI
Matthæi XXIII.

ANte verba Euangelij huius festi, Dominus noster Iesus Christus Phariseorum & scribarum auaritiã, hypocrisim & ambitione durè oburgauerat. Eo namque hæc loquente, pontifices cum Iudæorũ consilio iam Christum interficere statuerant. Nihil enim Dominus Iesus à Iudæis aliud, quàm quod sancti olim propheta, expectauit. Iudæi namque ut viri sanguinum, neminem, qui illis diceret veritatem, sinebant vivere. Multus sanguis innocens fusus fuit in Hierusalem. Quamobrem etiã Dominus fleuit super Hierusalem, grauem vindictam super illos venturam præmeditans, non à se, sed à Romanis paratam, qui Iudæorũ tentabant iugare punireque rebellionem. Deo tamẽ illam calamitatem in peccatorum

Iudæorũ tempore Christi quanta fuerit crudelitas in pios quosque. Lucæ 9.

supp.

supplicium eis ordinante. Dicit itaque apud Mattheum Euāgelistam Christus turbis Iudæorum & principibus sacerdotum:

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas: & ex illis occidetis & crucifigetur & flagellabitur in synagogis vestris: & persequemini de ciuitate in ciuitatem.

Prophetas, sapientes & scribas suos vocat Apostolos & prædicatores, quos post resurrectionem suam Dominus misit non solum Iudæis, sed etiam in mundum vniuersum. Præcipue tamē, quod Paulus testatur & Petrus, Iudæis missi erant prædicare verbum salutis: Vbi verò Iudæi illud repulerūt, indignos, se re ipsa, hoc est, contemptu & persecutione exhibentes æternæ vitæ, conuersi sunt ad gentes. Fecerunt autem Apostoli alij item multi ex prædicatoribus sanctis prophetæ futura prædicentes, fuere sapientes docentes legem Euangelicā, fuerunt scribæ, doctores in lege veteri quoq; eruditi. Vnde Dominum Iesum verum esse Christum, argumentis non leuibus Iudæos conuincebant. Siquidem de Ioanne Apostolo, qui Apocalypsim scripsit de Agabo, item de Paulo non dubium est, quin fuerint prophetæ. Taceo de pluribus alijs, adeo vt propter pacem & quietem seruādam, Paulus quoque visum sit necessarium in epistola legem dicere prophetiæ. Multi quoque inter Ecclesiæ culmina erant sapientes. Nam sapientes fuere omnes Apostoli, qui per diuinam inspirationem, nouitiam intelligētiāq; omnium habuerunt scripturarum, iuxta illud: Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Scribæ verò & in lege humanitus docti fuere Paulus, Gamaliel, Stephanus, Nathanael, Zena, Apollo, Nicodemus. Hos aliosq; multos, inquit, Christus ad prædicandum, & ad conuertendos vos mittam. At vos illis, quomodo vestri olim patres fecere prophetis ad se missis, facietis Apostolis: imo facietis deteriora, grauioraq; quandoquidem exemplum eorum quos ipsi malè egisse iudicatis, imitamini, nec vt deberetis correcti aut illis facti dissimiles. Dicitis enim: *Si fuissēmus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum.* Sed hæc ore tantum dicitis, at in cordibus vestris peiora absconditis, maiorēq; fouetis malitiam, quia peiora molimini. Ipsi enim seruos (quomodo in parabola vobis paulo ante dixeram) domini vineæ ad se, vt censum seu fructum suo domino reportarent, missos occiderunt. Vos autem vineæ heredem filiū domini (quod magis nefandum est) interficietis, atq; nomen eius conabimini extinguere. Nam eos quoque qui illum diligunt, qui consententur occidetis, & flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitate. Stephanum namque Iudæi occiderunt, Apostolos flagellauerunt, & lapidato Stephano persecutio magna facta est in Ecclesia quæ erat Hierosolymis. Præter enim Apostolos, reliqui omnes dispersi sunt.

Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachæ, quem occidistis inter templum & altare.

Peccata parentū super filios venire dicuntur, non vt in illis puniatur, quia

1 2 scriptum

Propheta in
nono teste-
mento qui
fuerit.
Marc. 16.
Act. 10.
Act. 13.
Apocal. 1.
Act. 2.
Act. 20.
The. 5.
Apostoli om-
nes vt fue-
runt sapientes.
Luc. 24.
Act. 22.
Act. 5.
Act. 2.
Titum 3.
Act. 18.
Ioan. 3.
Matth. 23.
Matth. 27.
Marc. 12.
Act. 7.
Act. 5.
Act. 6.

Parentum peccata quomodo super filios dicantur venire. Ezech. 18. Chrysolto. Gen. 4. Lamech cur grauius peccauerit quam Cain.

Math. 21.

Zacharias. hic quis fuerit. 4. Reg. 12. 1. 2. 24. Hieron. Barachias quid interpretatur.

scriptum est, Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, sed vt Chrysoftomus vult, propter peccata parentum, aggrauantur peccata filiorum. Viderunt enim patres deliquisse, intellexerunt eos Dominum ad iracundiam prouocasse, & sibi iustitiam Dei malorum omnium vindicem concitasse: eorum tamen non sunt exemplo à peccatis deterriti. Inde est, vt vitio à Lamech maior exigeretur, quam à Cain, licet vt hic, ille fratrem suum non occiderit: sed propterea plus deliquit Lamech, quam Cain: quia Lamech ante se habuit, in quo Dei iram & peccatum Deo displicere didicit, nec tamen doctus exemplo, abstinuit. Hoc modo cum scirent Iudæi, quam impium fuerit prophetas occidisse, adeo vt ad parabolam Domini de vinea & colonis occisoribus martyrum interrogari meruissent, responderunt: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs, qui fructum illi reddant in tempore suo: contra seipfos sententiam proferentes. Cum itaque scirent, quam foret iniquum innocentes persequi, non debuerant hoc ipsi facere. Zachariam hunc, quem fuisse existimat Hieronymus filium Ioadæ, qui occisus est in vestibulo templi: sed idcirco Zacharia magis, quam Ioadæ filium hic dictum, ad commendandam patris sanctitatem. Barachias namque sonat benedictum Domini. Cuiusmodi fuit Ioadæ pontifex vir Deo charus, & non exigua virtute præditus. Potuit etiam binomius fuisse Ioadæ, quod regibus & pontificibus non infrequens fuit. Nulli Zachariam hunc patrem Ioannis Baptistæ fuisse putant, propterea occisum, quod beatissimam Virginem Mariam postquam peperit Christum, & ex humilitate quasi purganda veniret ad templum, idem Zacharias inter virgines stare voluit (erat enim in templo locus singularis virginibus deputatus) pro ea contra repugnantes certans. Sed de hac re nil certi habetur in scriptura.

Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

Generationes duæ in scriptura. Psal. 77.

Peccata quoniam sunt grauiora.

Duas generationes scriptura ponit, electorum & reproborum. De generatione iustorum legimus. Hæc est generatio quærentium Dominum. De generatione praua scribitur: Generatio praua & exasperans. Vult itaque Dominus malos significari, quando hic loquitur de generatione ista, super quam omnia mala venient. Cum illa enim vos, inquit, vt pote mali, vnum corpus consistitis, & simul in pœnis eritis socij. Sicut enim electi in celo sibi gaudia cumulant, ita in inferno reprobi sibi alijsq; exaggerant pœnas. Terret itaque nunc eos, quo à malo desistant proposito, qui iam in Christi mortem conspirauerant, dicens omnia peccata priorum patrum eorum in illos reuoluenda. Hi enim (quomodo paulo ante dixi) qui cognoscunt alios, qui ante se deliquerunt propter peccata punitos, nec inde docti cauent delicta, grauius quidem, si eadem admittant delicta, peccant. Vnde iustus quoque fit, vt grauius puniantur, quam hi qui vltione diuina nondum castigatos agnoscetes, peccant. Vnde liquet diuturnitate temporis peccata fieri grauiora.

Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos,

eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti.

Geminatio verbi, affectum diligentis ac miserentis exprimit. Dolet enim piissimum cor Iesu, quod toties tamque multifariam conatus sit populum hunc duræ cervicis reuocare, reducere ac saluare: sed frustra, cum non fuerit qui vellet sequi, quin etiam vocantem contempserunt, ac nuncios persecuti sunt. Ac si diceret: Hierusalem, Hierusalem, vsquequo non audis, mihi obstrepens? Misi ad te Esaiam, & terra illum fecasti. Misi Hieremiam, & hunc lapidasti. Misi Ezechielem & excerebrasti illum. Hoc modo prophetas impiè omnes trucidasti. Quid vltra facere debeo, quod tibi non fecerim? Quomodo sanabo te, qui medicos omnes persequeris? Sanctis meis non peperci, vt tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne mortem tuam viderem. Omnes in te medici spirituales defecerunt, & tu nihilominus curata non es. Si ad tuam gaudere voluisses mortem, nunquam ad te misissem prophetas. Si te perdere voluisses, non venissem ad te ipse. Ego igitur quid faciam, si tu ipse viuere non vis? Quoties te, vt gallina suos pullos sub alas congregare volui? at noluisti. Misi ad te Moysen & Aaron, qui de Pharaone te liberarent, ad meq; reducerent. Sed quantum in omnibus dura fuisti ceruice, & mihi rebellis? Misi iudices, qui te liberarent: sed denuo semper à me auersa, ad peccata tua, & ad idolorum culturam redijisti. Reduxi te ex Babylone, sed spreuisti, abiecisti què me post tergum tuum. Hoc modo vsque in presentem horam ad vnus veri Dei cultum in vnitatem fidei & dilectionis te congregare volui, immenso affectu ad modum gallinæ, quæ inter pennata animalia feruentiorem gerit ad pullos suos, quam reliqua, affectum, vt pote præ amore & solitudine, quam habet ad pullos suos, languens, & vocem in raucedinem mutans: sed noluisti. Vides hic quam sit arbitrium liberum, cum Deus hominem saluare se non posse dicat, quia nolit ipse. Neminem enim cogit sed libertatem homini voluntatis relinquit, ne virtus non sit virtus, si homo recipere cogere, aut si inuito daretur salus. Potest quidem Deus de nolente facere volentem: nolentem tamen non cogit. Vide etiam quam consolatoria vtatur similitudine, gallinæ se comparans, quæ nouimus inter volatilia feruentissimo, fidelissimo què amore suos fouere pullos, quos ad partum ducit, à se paululum distantes aduocat, & voce sub alas, quo foueat eosdem, conuocans congregat. Si quispiam pullum tangere querat, tametsi ferrea indutus sit lorica, inuadit eum, ne pullum relinquat indefensum. Decet autem nos quoque Christi & Ecclesiæ matris vocem agnoscere, atque sub illius alas confugere, si foueri cupimus, & in fide coalescere. Scito quoque quod Hierusalem hic alloquens, carnalem illam putat, quæ credere noluit, & quæ spiritualem Hierusalem, id est, Ecclesiam hic militantem, hoc est, Apostolos & credentes quoque persecuta est. Aduerte præterea, quia non dicit ad Hierusalem, Quæ occidisti prophetas, de his qui ante Christum fuerunt, duntaxat loquens, sed Apostolos quoque & alios sanctos prædicatores post se persequendos, lapidandos, interficiendosq; sciens. Hierusalem, inquit, qui occidis prophetas & cætera. Facturos igitur præui-

Deute. 32.

Exod. 6.

Iudicum 2.

1. Efd. 3.

Gallina quæ
tum feruorem
habet erga pullos
suos.Arbitrium
hominis quæ
sit liberum.Gallinæ ad
pulos suos
fidelitas quæ
ta.

der illos Apostolis & sanctis, quod eorum patres fecerunt prophetis.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Lucæ 19.

Causam desolationis huius iam indicauit, quia noluerunt non solum cognoscere tempus visitationis suæ, & audire Christum vel in seipso, vel in prophetis, vel in Apostolis, sed tam Dominum, quam seruos etiam occiderunt. Iusta igitur sequitur vindicta, vt relinquatur eis domus deserta. Quod

Psal. tot.

in Psalmo quoque prædictum est: *Via habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Hæc desolatio illis erat superuentura, sub obsidione Titi & Vespasiani, & per exercitum Romanorum, quo vastata est ciuitas atque depopulata, templum quoque & ministerium sacerdotum, vinctio, sacrificium, omniaque arcana Iudæorum penitus defecerunt, sicut in Daniele fuerat prophetatum, dicente: *Ciuitatem & sanctuarium disperabit populus cum duce venuro, & vsque in finem perseverabit desolatio: Et in Hieremia, Reliqui domum meam dimisi hereditatem meam. Facta est mihi hereditas mea, quasi filius sylvæ: dedit contra me vocem.*

Desolatio
Hierusalem
à Christo præ-
dicta quando
contingit.
Dan. 9.
Hier. 12.

Dico enim vobis: Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Quod amodo se non videndum dicit Christus, non intelligitur ab hac hora, qua hæc loquebatur verba, sed post passionem, quæ prope instabat, postquam non erant ipsum visuri, vsque dum dies adesset iudicii, quando,

Apoc. 1.

iuxta Apocalypsin Ioannis, *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Aut intelligitur hoc futurum post tempus illud Antichristi. Hunc enim, spreto

Thes. 2.

Christo Deo & Dei Filio Domino Iesu Iudæi recipient. Sed vbi illum Dominus Iesus interfecerit spiritu oris sui, Iudæi se videntes in illo deceptos, &

Esaie 10.

tunc qui super fuerint, iuxta Esaie Prophetam, conuertentur ad Christum benedicentes illum in nomine Domini, confitentes eum verum esse Messiam

Hieron.

atque Christum. Quod pari modo, iuxta Hieron. de conuersione cuiuscunque Iudæi intelligitur ad fidem Christi. Nisi enim, inquit, penitentiam egeritis, & me verum esse Messiam credideritis (quod est videre & benedicere

Benignitate
quanta Chri-
stus vsus iue-
rit erga Iu-
dæos.

Christum) confitentes me Christum Dei Filium, faciem meam non videbitis. Aedificent nos hic charissimi in hoc Euangelio Christi charitas, longanimitas & misericordia. Quanta enim benignitate erga Iudæos vsus est ne

Natura Dei
quæ sit.
Chrysost.

illos damnaret: quorū tamen præsciuit duritiā. Hoc modo etiam nos misericorditer sustinet. Verum quo diutius tolerans ad conuersionem nos tolerat, eo non conuersos, postea grauius damnat. Inuitus enim cōpellitur dam-

Compelli
quinam dica-
tur.

nare peccatores. Eius enim natura non est damnare, sed misereri & parcere. Quocirca vt Chrysostomus ait, quemadmodum in nobis contra naturam

Deus vt dam-
net aliquem.
Misericordi-
am Dei quis
desideret &
quis non.

est bene agere (puta iam post lapsum naturæ) sic Deo contra naturam est malè facere aut perdere. Verum dicit aliquis: Cum in potestate habeat Dominus perdere & saluare, quis eum inuitum, vt damnaret compellit? Sed audis:

Tu compellis, qui non desideras, hoc est, non requiris misericordiam Dei. Sicut enim misericordiam qui desideranti negat, crudelis est, ita qui nō de-

sideranti præstat misericordiam, iniustus est. Sed dices: Quis non desideret misericordiam Dei? Tu qui in peccatis permanes. Desiderare enim misericor-

diam Dei, est conuerti ad Deum. Ille enim Dei misericordiam desiderat, qui

est

eius metuit iram. Qui autem non eius timet iram non desiderat misericordiam. Quapropter filij apertam nunc vobis diuinæ misericordiæ ianuam cognoscite. Modo vos ad Christum conuertite, vt à mundo auertamini, & Christo conformemini. Certi sitis, quia non repellet, sed recipiet vos, imo occurrerit vt mansuetissimus Pater, vobis. In facultate enim nunc vestra constitutum est vt si vultis per Dei misericordiam, quæ vltro occurrit vobis, possitis saluari. Præster ipse idem nobis voluntatem, spiritum & auxilium ad se reuertendi, qui consilium suum prærogauit, idem Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO IN EODEM FESTO.

Quibus celum aperitur, quibusque clauditur.

Lapidabant Stephanum innocentem, & dicentem: Domine, suscipe spiritum meum. Postquam autem genibus, clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hæc dixisset, obdormiuit in Domino, Acto. VII. Heri dilectissimi solennitatem celebrauimus regis, hodie festiuam agimus memoriam militis. Heri natalem diem celebrauimus Christi, hodie passionem veneramus Stephani. Heri mundus recepit Christum, hodie misit Stephanum mundus in cælum. Heri Christus est natus, hodie Stephanus est mortuus. Sed hæc mors sanctorum, natiuitas sola ac vera censenda est, qua à miseria mortali, caduca, instabili que vita periculis multis calamitosa, & quæ mors continua potius, quàm vita dicenda foret sancti per mortem renascitur. *Preciosa enim in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Hac namque ad felicitatem electorum animæ renascuntur. Ingressiuntur enim vitam, quæ immortalis & sempiterna est, & morore caret. Itaque heri recepit mundus Deum in infirmitate carnis latentem, hodie cælum recepit hominem protomartyrem in gloria triumphantem. Cuius vt nos passio ad deuotionem præuocet eam ex Actis Apostolorum petamus. Primo igitur dicendum Stephanum per Christi prædicationem venisse ad fidem, vnumque ex septem fuisse diaconis ab Apostolis institutis. Quotquot enim credentium erant, si agros habebant, aut domos, aut aliud quid, illud vendebant, & precium ad pedes Apostolorum ponebant. Nemo enim ibi habebat aliquid proprium, nec quicquid dicebat suum, sed erant illis omnia communia. Vnde liquet apostolos, tam spiritualium, quàm corporalium fuisse dispensatores. Diuidebatur autem singulis de bonis illis communibus ex fidelium donatione congregatis, quantum unicuique opus erat. Et ad hoc quædam sanctæ erant constituta viduæ ex genere Hebræorum, propterea quod ad huiusmodi hæc magis forent industriz. Verum hoc quidam ex Græcis qui ad fidem venerant, ægre ferentes, quod ipsorum viduæ ad huiusmodi ministeria non admitterentur, ac propterea contemptæ illæ existimarentur: pro pace huius sanctæ ac magnæ congregationis, apostoli septem instituerunt diaconos, viros plenos spiritu sancto, qui huic temporalium administrationi præessent. Spiritualibus enim apostoli occupati, & reductioni animarum intenti ad suum creatorem, per fidem animas inducere, pascereque cupiebant, ad temporalia alijs sibi (quod apostolicum erat) substitutis. Vnus itaque ex septem fuit S. Stephanus, qui huic ministerio intendebat. Cui vero prædicatione & disputatione versaretur assiduus inter

Natiuitas
sanctorum
vera censenda
quæ sit.
Psal. 115.

Acto. 6.
Conuersio
S. Stephani
quando acci-
derit.
Acto. 4.

Acto. 6.

Iudæos illos qui periti erant in lege, differēdo continuē eos cōvincebat affeuerans Iesum esse Christum qui promissus fuerat patribus, atque verum Messiam. Erat præterea S. Stephanus clarus in operandis miraculis & prodigijs. Cui Christus, vt promiserat, dedit os & sapientiam, cui non poterant contradicere omnes eius aduersarij. Itaque fidelibus primis discipulis (ita enim vocabantur) sub obedientia S. Petri, & Apostolorum viuentibus & omnia in communi habentibus (quam hodie hi qui dicuntur monachi vitam illam apostolicam imitantur) cum Stephanum in scripturis Iudæi superare non possent, submiserunt iniquos testes, qui dicerent Stephanum blasphemasse templum & legem. Consilio igitur ordinato, Stephanum ad respondendum sibi statuerunt. Quibus Stephanus respondens, vbi veritate se purgauerat, tandem illorum duritiam ac obstinationem arguens, prophetarum illis persecutionem ac Christi mortem exprobrauit. Seuere enim illis (sed non absque charitate hæc erat seueritas) loquebatur, dicens: *Dura cervice & incircumscisso corde & auribus vos semper Spiritu sancto resististis. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui præ annunciabant de aduentu iustitiae: cuius nunc vos productores & homicida estis.* Iuxta quæ verba hic expendendum est, quam varia sunt dona Dei. Alius mitis corde, sæpenumero sua lenitate vehementer ædificat: alius acerbioribus vitur verbis, & in Spiritu sancto loquens, obiurgat. Vnus tamen vtrumque hoc operatur Spiritus, scilicet charitatis. Neque enim minus hic loquitur Spiritus sanctus ex Stephano, dum zelo Dei seuere obstinatos obiurgat, quam loquebatur ex Petro, qui plebi blandiens, eam ad conuersionem trahebat. Nam Petrus vbi mitioribus verbis plebem ob Christi necem arguisset, quam Stephanus, tandem etiam consolans eos salubriter dixit: *Et scio fratres, quia per ignorantiam fecistis.* At Stephanus, *Dura, inquit, cervice, &c.* Vtrobique tamen Spiritus sanctus loquebatur, nec facile est propterea quempiam iudicari, cum Spiritus sanctus multifariam eos quos implet, regat, charitatisque officia non vniuniformiter administret, quemadmodum nobis etiam in scriptura loquitur, nunc quidem consolando, rursus verò comminando & terrendo. Non igitur obliuiscenda est parabola de Samaritano, qui vulneratum à latronibus spoliatumque collegit, & curam illius vulneribus adhibens, oleumque & vinum infudit. Si itaque ibi vnus medicus vni infirmo non vnus sed ferme contraria, olei scilicet & vini, cum alterum leniat, alterum purget seu mordeat, adhibuit medicamina, quomodo diuersis infirmis non ab vno medico, non alia atque alia sunt adhibenda medicamina? Quamuis dici possit, mitius quidem loquendum fuisse plebi, & iuxta institutionem Christi lignum fumigans non extinguendum, nec fractum calamum conqualandum, quo respexisse credendus est Petrus, quam doctis atque in lege peritis, qui per inuidiam magis quam per ignorantiam Christum fuerant persecuti, quo respexisse creditur Stephanus. Illis enim qui scienter & ex malitia peccauerant, duriorē censebat fore necessariam obiurgationē, quā his qui per ignorantiam deliquerant. Quamuis tamen Stephani obiurgatio fuit seuerior, nihilominus in verborum seueritate magna simul seruata est charitas. Quod inde liquet, nam dum acrius Iudæi in illum seuerent, Stephanus inter lapides spiritum traditurus pro eisdem genua flexit, vt loquitur,

Lucz 12.

Monachi
quorum vita
imitatur.

Acto. 7.

Dona Dei
quam sunt
varia.

Acto. 3.

Lucz 10.

Medicamina
que quibus
non sunt ap-
plicanda.
Eiaze 4.
Matthi 12.

Acto. 7.

quitur, pro illis orauit. Stephano itaque iudæos obstinatos arguente, fremebant illi præ ira dentibus in eum. Verum inter hæc cum Stephanus in cælum intenderet, & illuc ubi erat mente dirigeret oculum, *vidit cælum apertum & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Exclamauit igitur: *Eccc video cælos apertos.* Sæpius in scriptura legimus apertos cælos. Nam Christo baptizato aperti sunt cæli, & vox de cælo facta est, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Significat autem baptizatis aperiri cælos. Si enim antequam peccarent, post baptismum morerentur, mox ad Deum euolarent. In baptismo enim ab omnibus nudati, ablutiq; sunt peccatis, quæ baptizatis plene omnia remittuntur. Simili modo aperitur cælum verè & perfectè pœnitentibus. Quod in Actis significatur, ubi Petrus cælum vidit apertum, & vas descendere quasi linteum, reptilibus plenum, Petroq; dictum: *Occide & mæduca.* Cui cum Petrus responderet, se immundum nunquam comedisse: iterum illi dictum est. *Quæ Deus mundauit, tu immundum non dixeris.* Et receptum est vas in cælum. Animalia immunda ante pedes Petri, id est, ante sacerdotes se demittentia, sunt peccatores, qui ad pœnitentiam, & peccatorum suorum sese humiliant confessionem coram sacerdote: ubi mundati recipiuntur in cælum. Si enim ut ait Ioannes, *consciamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, ut remittat nobis peccata nostra, & mudeat nos ab omni iniquitate.*

Verum tamen hoc de feruente pœnitentia atq; perfectè intelligatur, oportet. Nisi enim pœnitentia quædam esset tepidorum, non diceret Ioannes Baptista: *Facite fructus dignos pœnitentia.* Fructus digni pœnitentiæ, iuxta sententiam S. Gregorij, sunt, mortificationes desideriorum etiam licitorum, quæ admodum Dauid perfectè pœnituit. Quippe qui ante adulterij committere non timuerat peccatum, postea pœnitens, aquam ex cisterna in Bethleem concupitam ac sibi allatam bibere recusans, hanc Domino in sacrificium, suum desiderium mortificando, obtulit. Qui ergo multa illicita admisit, iustum est, ut multa quoque sibi per sui abnegationem licita subtrahat: & quo pluribus contra Dei voluntatè delectationibus seruiuit, eo plures iam cõsolationes vel licitas sibi subtrahat, quo veram pœnitentiã, fructusq; agat pœnitentiæ dignos. Et quantum se exaltauit quis in delictis, tantum se humiliet in contritione ac pœnitentia. Contra superbiam introducatur humiliatio: contra delectationes corporis, castigatio adhibeatur carnis: ut quanta fuerit culpa, tanta sit & pœna. Et sicut quis membra sua seruire exhibuit immunditiæ & iniquitati, ita nunc exhibeat seruire iustitiæ, in sanctificationem. Scriptum est quoque: *Secundum mensuram delicti erit plagarum modus.* Et in Apocalypsi: *Quantum glorificata est in delictis anima peccatrix, tantum date illi luctum & tormentum.* Hæc autem perfectè est pœnitentia, ab omni auertere se consolatione, quæ est in creatura, & ad Deum toto se corde conuertere.

Tertio hoc in loco legimus cælum apertum, ut vidisse testatur se S. Stephanus: quo subindicatur sanctis martyribus cælum referari, liberumq; patere ingressum. Nam Augustinus, Qui orat, inquit, pro martyre, iniuriam facit martyri. Impleuit enim perfectam charitatem, qua nemo, ut ait Christus, habet maiorem. Et hæc operit multitudinem peccatorum. Quarto legimus Ezechielem cælos vidisse apertos, yrum religiosum perfectum atque cõsummatum. Applicatur autem à maioribus nostris professioni monacho-

Math. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.
Cælum baptizatis ut aperitur.
Pœnitentibus cælum aperire.
Act. 10.

1 Ioan. 1.

Math. 5.
Luc. 3.
Pœnitentiæ fructus digni qui sint.
2 Reg. 11.
2 Reg. 23.
Desideria etiam licita quando sint mortificanda.
Math. 3.

Rom. 6.

Deut. 5.
Apoc. 3.
Pœnitentia perfecta quæ sit.

Act. 7.
Martyribus sanctis cælum aperiri.
August. 1.
Ioan. 13.
Prover. 10.
Iacob. 3.
1. Pet. 4.
Ezech. 5.



Professio re-
ligiosorum
quam apte
secundus ap-
pellatur ba-
ptismus.
Vota tria mo-
nastica quæ
sunt.
Castitati ser-
uandæ exer-
citiâ congrua
quæ.
Carthusiano-
rum afflictio-
nes quæ pe-
ccant
Paupertas re-
ligiosorum
voluntaria
quæ sit.
Martyrio cõ-
parari statum
monasticum.
Bernard.
Carthusiano-
rum professio
& institutum
quam sit sub-
lime & no-
bile.
Rom. 12.

rum, quæ est sicut alter baptis-
mus, quo iterum iuuentutem suam renouat ho-
mo, verus tamen denuo renūcians peccati. Maxima sunt enim quæ in professio-
ne sua ac voto offerunt monachi, seu religiosi: Obedientia, quæ plena est sui
abnegatio, holocaustum quæ Deo acceptissimum. Castitas ad cuius obseruan-
tiam multa dura, carni quæ afflictiva, in monachorum regulis ordinantur,
puta non lineis vti ad carnem, sed laneis: apud Carthusienses verò cilicio,
hoc est, ex pilis contexto hispido indusio: non comedere carnes: abstinere
ab alijs multis delicatis: ieiunare, nocte media surgere, diu vigilare, genu-
flexionibus & laboribus denique multis carnem, ne contumax insolescat,
domare. Voluntaria paupertas, quæ sua omnia ac seipsos relinquunt, nul-
lius rei ius dominiumve (quædoquidem sine vsu impossibile est necessario-
rum vivere) sibi seruantes. Huiuscemodi autem professionem, statumve as-
sumere & ex animo ferre, nescio quo sit martyrio inferius. Neque enim
non sunt, qui leuius ac desideratius semel capitis ferrent truncationem, quæ
tot tentationum assiduas pugnas, mortificationum agones: passionum ac
vitiolorum certamina, atque charorum omnium abrenunciationem. Nō igitur
eam ob rem iniquè senserunt, qui monasticam professionem secundum
baptisum dixerunt. De hoc S. Bernardus fratribus de monte Dei, hoc est,
Carthusiensibus scribens. Altissima, inquit, est professio vestra. Cælos tran-
sit, par angelis est, & angelicæ similis puritati. Non enim solum nouissimam
omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem & omnis consumma-
tionis finem. Non enim est vestrum circa communia præcepta languere, neque
hoc solum attendere, quid præcipiat Deus, sed quid velit: probantes quæ sit
voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta. Aliorum enim est Deo seruire
vestrum adherere. Aliorum est Deum credere, scire, amare, reuereri: vestrum
est sapere, intelligere, cognoscere & frui. Magnum est hoc, arduum est hoc. Sed
omnipotens & bonus est Deus, qui in vobis est pius promissor, fidelis reddi-
tor, & indefessus adiutor, qui magno eius amore magna proficientibus, & in
fide & spe gratiæ eius maiora viribus suis aggredientibus, & voluntatem &
desiderium suggerit in idipsum, & qui voluntatis gratiam prærogauit, sub-
rogabit etiam virtutem ad prouentum. Hæc Bernardus. Sed de hoc satis
Stephano itaque quod Iesum stantem cerneret à dextris virtutis Dei, dicente,
continuerunt hypocritæ aures suas, quasi blasphemiam tantam audire re-
cusantes: in furorem, tumultumque versi omnes, Stephanum eiecerunt extra
ciuitatem lapidantes. Qui in passione sua bis orauit. Primo pro se orans, pe-
tiuit suscipi à Christo spiritum suum. Deinde iterum orauit pro lapidatori-
bus suis. Pro se quidem orasse tantum legitur, pro lapidatoribus verò suis
inter orandum etiam genua flexit. Quo manifestatur intentionem dilectio-
nis, orandi quæ animam diligentiori studio suis inimicis, atque sibi ipsi
applicauerit. Imitator autem obedientissimus in hac re fuit magister sui, à
quo pro inimicis orandi sumpsit exemplum, idipsum nobis quoque relinquens
vt imitemur. Quocirca charissimi diligamus inimicos nostros, beneficia-
mus his, qui oderunt nos: oremus pro calumniatibus & persecutibus nos.
Et quamuis in mandatis Dei Augustinus nil dicat esse mirabilius dil. ctione
inimicorum, non tamen adeo est graue aut molestum, quin possit impleri.
Sunt autem octo, quæ si attendantur, etiam facilitatem in hac dilectione præ-
bent.

Orazio S. Ste-
phani quo
spectat.

Luca 23.

Matth. 5.

August.

Inimicorum

bent. Primum status miser, in quo constitutus est, qui te odit aut persequitur. Cui re vera condolendum est, non invidendum. Est enim in se mortuus. Quid verò tu irasceris mortuo? Dedecet prorsus vindictam expetere aut morreo aut ab infano. Secundum, est utilitas iniuriæ illatæ. Nam iuxta illud Ecclesiastici, *Vsq̄ue in tempus sustinebit patiens, & postea redditiõ erit iucunditatis.* Nihil enim tibi aliud inimicus fabricat, nisi coronam & mercedem coram Deo. Tertium, quod inimicorum persecutio tibi fructuosior est, quam dilectio amicorum. Habere enim persecutores, facit te prudentem, vigilem, humilem; cum ediuerso amicorum dilectio extollat, blandiatur, fallat, atque non raro tibi imponat. Confert deinde ad vulnere tuorum sanationem non parum. Vnde Augustinus ait: Ad dilectionem inimicorum vos moneo, quia ad sananda peccatorum vulnera nullum medicamentum vtilius esse cognosco. Christus quoque vtilitatem dilectionis huius non tacens, dicit: *Diligite inimicos vestros, & erit merces vestra magna.* Quartum, quod hæc dilectio inimicorum nos non solum Dei facit amicos, sed etiam filios. Ideo Christus ait: *Diligite inimicos vestros, & eritis filij altissimi.* Quintum, quod hæc dilectio vehementer nos conformes reddit Deo. Quid enim diuinæ est bonitati conformius, quam inimicis, indignis, atque lædentibus esse benignum, atque placabilem? Sextum, quod dilectio tua in eo qui tibi inimicatur, inimicitias destruit, odium extinguit, in illoquæ odij vulnus magis, quam quoduis aliud remedium sanat. Quapropter hortatur Paulus: *Si furierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Sic enim faciens, carbones ignitos congeres super caput eius.* Septimum, quod inimico non potes reddere malum aut nocere, quin tibi magis noceas. Malitia enim ante lædit suum autorem, quam eum, cui intentatur. Sæpenumero quoque aliena malitia eum, qui hanc tolerat, minimè lædit, vel quia patiens est, vel quia conremni: eum autem qui agit, non potest non lædere. Non igitur malum reddas pro malo, sed in bono vince malum. Octauum, quod tranquillitatem cordis, pacem conscientiæ, lætitiã spiritus, qua nihil dulcius, diligendo inimicum, seruas. Debet autem inimicus diligi communi charitate, qua diligit quis omnem proximum. Porro, singulari motu dilectionis illum diligere, non est necessitatis: habere tamen animum debet quis paratum, si occurrerit necessitas, vt singulari etiam velit motu dilectionis illi fauere aut subuenire. Itaque inimicus tuus abs te diligendus est corde, vt non optes ei malum, sed optes ei salutem æternam, eaque quæ ad hanc sunt necessaria, & faueas omnem prosperitatem, quæ illi expedit ad salutem. Iterum inimicus diligendus est ore, ne illi detrahas, ne diffames, ne ore lædas, derideas, aut contumeliam facias, sed pro illius ores salute. Tertio, diligendus est opere, vt caueas illum lædere contristare, molestus illi esse, omniaquæ membra tua contineas ac sensus, ne quid ex te prodeat, quod tuo fuerit inimico iniuriosum, aut ei ad afflictionem siue animi, siue corporis cedat. A beneficijs præterea generalibus nõ licet illum tibi excludere aut separare, sed illi debes, quod omnibus debes. Postremo, quum sanctus Stephanus pro inimicis orasset, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, obdormiuit in Domino. Sic vos quoque filij ad auaritiã ad æstum luxuriæ, ad superbiam fastum, ad iræ odijquæ faces obdormiatis, non aliter, quam

dilectio ex quibus octo considerationibus fiat facit. Eccl. 1.
Persecutio inimicorum cur fructuosior sit quam dilectio amicorum. August.
Matth. 5.
Lucæ 6.
Roman. 12.
Malitia alicuius vt suum autorem lædat ac noceat. Roman. 12.
Inimici quali dilectione sint diligendi.
Inimicus quomodo sit diligendus corde.
Ore.
Opere.
Beneficio.
Obdormiendum quomodo mysticè fit in Domino.



quam in Domino, vt nihil eorum in vobis viuat, optantibus sanctorum sanctorum seruare & pacem, & ad omnes charitatem in Christo Iesu Domino nostro, qui est in secula benedictus, Amen.

IN FESTO BEATI IOANNIS APOSTOLI,
& Euangelistæ: Lectio Ecclesiastici de-
cimoquinto.

Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens est in iustitia, apprehendet illam: & obuiabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vite, & intellectus & aqua sapientie salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, & non flebitur, & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos. In medio Ecclesie aperiet os eius, & implebit illum spiritu sapientie & intellectu, & stola glorie induet illum. Iucundat eum & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine eterno hereditabit illum, Dominus Deus noster.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Prou. 1. 9.
Eccle. 1.
Eccle. 49.

Cum inquit sic sapientia timor Domini: scitque quod Ecclesiasticus habet, is vt paradisi benedictionis, corona iustitiae, plenitudoque sapientiae, recte sanctissimus Apostolus & Euangelista hic a timore laudatur Dei: non tamen à quouis timore, sed filiali ac sancto, quo filius suum, quem amat, patrem timet offendere, timet iratum reddere, timetque aliquid de eius voluntate negligere. Est enim multiplex timor non aequè laudandus. Nam timor quidem est seruilis, qui peccare metuit, ac cauet solo timore poenae tractus, non virtutis neque Dei amore. Hic ad salutem non sufficit, hic timor nec aliter laudatur, nisi quod ad conuersionem aliquo modo disponit, & ad vitanda assuefacit peccata. Sicut enim hic timor cum peccato mortali.

Timor seruilis qui dicitur.

Hugo.

Hoc timore mulier metuit adultera alienum admittere virum, timens deprehendi à suo marito. De hoc tamen timore Hugo loquens, ira hortatur: Si amor Dei te tenere non potest, saltem te teneat ac terreat timor iudicii, metus gehennae, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodes, sulphur ferens, flamma tartarea, & omnia mala. Alius est timor humanus, quo malum ne despiciatur, ne displiceat, nec obiurgetur, aut ne temporale quid amittat propter homines tantum vitatur. Hic timor peccandi difficultatem adferre potest, peccandi voluntatem auferre non potest. Si tamen quis timeat hominem iuxta illud, quod sibi propter Deum est timendus, puta superior, cui obedire debet, aut proximus, cuius offensionem, atque tristitiam cauere debet, ne hominem offendendo, Deum offendat: huiusmodi timor non humanus, sed Dei vocatur timor. Est tertius timor carnalis, quo sibi quis timet, vt pote molesta aut graua, atque sibi contraria horrens. Hic timor quando vitiosa cauet ac animae noxia, bonus est: quando salutaris, perniciosus. Quartus timor filialis, sanctus, castus ac reuerentialis est erga Deum, permanens non solum in charitate, sed e iam in seculum seculi. De hoc hodie loquitur lectio hæc Ecclesiastici dicens: Qui timet Deum, faciet bona. Osius enim hic timor non est, sed culpam declinat, Dei offensionem,

Timor humanus quis.

Timor carnalis quis.

Timor filialis ac sanctus quis.
Halm. 1.